THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

JOVA JUVA!

DISPUTATIO THEOLOGICA.

De

CONIUGIO SACERDOTUM,

QUAM

CHRISTO ECCLESIÆ SPONSO

OPITULANTE

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI,

DN. BALTASARIS BEBELII,

SS. Theol. D. & P. P. Famigeratissimi, Summi Templi Ecclesiastis fidelissimi, Coll. Wilhelmitani Ephori gravissimi, ut & Facult. Theol. p. t. Decani Spectabilis.

Domini Patroni, Fautoris atq; Evergetis sui omni honoris & observantiæ cultu ævum suspiciendi.

Publice pro viribus & Ingenii tenuitate defendet.

Ad d. 25 Mens. April. Anno 1673.

JOH. LUDOVICUS BALTZ, Tullinga Marchicus

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

12

CONIUGIO

I. N. D. N. J. C.

Προοίμιον.

LIcet multa sint, imò innumera ferè portatu difficillima onera, quibus Sponsam à Sponso suo Christo gratissimâ pariter ac pretiosissimâ libertate donatam Ecclesiam, puta N. T. Evangelicam, Ecclesia, apostatica (*Romanum Pontif. cum juratis suis intelligo*) ceu jugo ἀβαστάκτῳ gravare, non tantum ausu infelici præsumpsit, verum etiam, quantum quidem in ipsâ erat, reapse infelicissimè gravavit, inter omnia tamen locum facilè primum, vel saltem à primo proximum, sibi vendicat istud gravissimum, & plusquam importabile onus, quod Ministerio Ecclesiastico, eique universo, per interdictum conjugii, statûs in se Sanctissimi, Deoque acceptissimi à *Concilii Tridentini* Patribus, bruto licet, horrendo ta-

men, anathematis fulmine munitum, imponere magno & prolixo conatu allaboravit : quanquam id non sine multâ multorum piorum qui libertatem suam heroico ibant assertum animo, contradictione. De Ecclesiâ Orientali, quæ huic jugo Pontificio nunquam submisit collum, cuivis, in antiquitate non prorsus hospiti, hoc ipsum est notissimum. Quomodo insignis fidei Confessor Paphnutius *in Concilio Niceno Anno Chr.* 325. habito, pro hac Conjugii libertate Sacerdotibus asserendâ, non minus mascule, quam, feliciter pugnaverit, *ex Sozom. l.* 1. *c.* 22. constat. Quamdiu nostræ Germaniæ Episcopi & Sacerdotes conjugio usi fuerint, & quam acriter in *Hildebrandum, Gregorii VII.* titulum in Pontificatu qui gessit, casta eorum conjugia per *Archiepiscopum Moguntinum* profligantem, invecti fuerint, ex *Chronico Hirsfeldensi* discere licet. Quâ ratione, ductu Megalandri nostri B. Lutheri, omne fermentum falsæ doctrinæ, ad normam verbi Divini expurgantis, Ecclesia Evangelica hoc jugum Pontificium, ante sesqui secula

cula iterùm excusserit, non solum *pia praxis* hodiè ostendit, sed etiam *ex libris nostris Symbolicis*, *Augustanâ Confessione*, & ejus *Apologia* omnibus clarescit. Ista enim *artic. XXIII. abus.* 2. Protestantium de hac re sententiam è verbo DEI paucis in publico Imperii conventu & coram Sacratissimo Imperatore Carolo V. exposuit, hæc vero paulo prolixius explanavit, In quam materiam, *cùm nuper occasione Collegii super Abusus A. C. sub Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Præside* habiti, incidissem, ubi de scribendâ & habendâ Disputatione mandatum à Parente meo acceperam, eandam præ cæteris ventilandam mihi elegi, præsertim, cùm voluntas *Rever. Dni. D. Præsidis*, (cui unquam contravenire, mihi semper esto religio) idem quoque præciperet. Novi controversiam hanc à multis orthodoxorum, prolixissimè tractatam, & ad sceleton usque evisceratam esse, meque hac ratione nihil allaturum novi. Verum neque hic scopus meus erat, neque etiam mearum virium opus: Exercitio Academico studiis meis Academicis finem imponere intendo,

tendo, quod si divinâ favente gratiâ, quam, ut benignissimum Numen mihi nunc scribenti, deinde etiam pro ingenii viribus differenti largiter concedere velit, devotissimis illud imploro precibus, feliciter cesserit, id, quod quærebam, impetravero: & DEO pro assistentiâ suâ ad gratias immortales agendas obligatus ero.

§. I.

IN ventilatione igitur præsentis controversiæ, ut singula singulis cohæreant, hoc incedam ordine, ut *Primo* statum controversiæ post evolutionem terminorum ponam. *Secundo* orthodoxam nostram sententiam ex immotis argumentis firmem. *Tertio* Heterodoxam opinionem refutem.

§. 2

Occurrit autem in positione status controversiæ evolvendum I. *Subjectum*, quod est Sacerdos. Quam vocem hic accipimus non (α) latissime, quatenus notat omnes pios ac fideles, spirituales hostias DEO offerentes; prout sumitur *Apoc. 5. v. 10.* nec (β) propriissime, quatenus designat solam Personam, externum & corporale Sacrificium, immolantem: qua ratione tribuitur tantum Sacerdotibus Vet. Test. in N. T. soli Christo. Sed (γ) strictè & propriè, quatenus significat Personam cultui sacro Nov. Test. i.e. publicæ prædicationi Evangelii & administrationi sacramentorum, dicatam, & peculiariter consecratam, quæ alias communiter & juxta stylum vocatur Mini-

Minister verbi. Ex quo ipso statim apparet, non tam de V. quàm Nov. Test. Sacerdotio & Sacerdotibus hic agi.

§. 3.

In ponendo statu controversiæ venit observandum. II. *Prædicatum*, Matrimonium, ejusque contractio; Per hoc autem notamus statum à DEO ordinatum *Gen. 2. vers. 18.* in quo unus mas & una fœmina in unam carnem per legitimum ac plenum consensum indissolubili fœdere copulantur *Matth. 19. v. 15.* ut genus humanum sobolis procreatione multiplicetur, *Gen. 1. vers. 28.* mutuum adjutorium in rebus tam divinis, quam humanis firmetur *Gen. 2. v. 18.* & scortatio vitetur *1. Cor. 7. vers. 2.* Ut adeò hoc ipso excludamus non tantum vagas libidines, scortationes, stupra & incestus, sed etiam quasvis alias illicitas commixtiones, quales vel in vitioso isto concubinatu, vel polygamiâ simultaneâ deprehenduntur.

§. 4.

Ad formationem status controversiæ probè notandum III. *Ratio connectendi* hoc prædicatum cum hoc subjecto: Quæ versatur circa (α) non necessitatem, quasi non possit esse aliquis verbi Minister, nisi sit conjugatus; quod phanaticus ille Spiritus, Carolstadius insanivit; quem solidè refutavit B. Lutherus. *Comment. in Psalmos Graduum Anno M. D. XL. scripto ad vers. 3. Psalm. 128.* sed (β) libertatem sive licitum.

§. 5.

Quæritur scil. *An Ministris Ecclesiæ sive verbi in Nov. T. licitum & liberum sit de jure Divino, adeoque*

que & juſto humano & Eccleſiaſtico (de facto enim Pontificios contrarium ſanxiſſe, novimus) *coontrahere matrimonium, contractoque uti & frui*? Nos affirmamus, Pontificii negant. Affirmativæ noſtræ ex pluribus ſequentes, easque potiſſimas adducimus rationes.

§. 6.

In V. Teſt. habemus I. expreſſam Conjugii ab ipſo primo Paranympho inſtitutionem, *Gen. 2. verſ. 18.* Dixit enim Jehova; *non bonum* ſc. eſt; i. e. ex ſtylo ſcripturæ & idiotismo linguæ, peſſimum eſt; pluribusque quam dici & credi poteſt, ſcatens incommodis (quicquid enim Hebræi volunt valde affirmare, per negationem contrarii efferunt, *videripoſſunt loca Prov. 10. v. 2. c. 23. v. 13. Joh. 1. v. 20. & 3. v. 15. 16. 17.*) *eſſe hunc hominem* הָאָדָם *Solum* hebr. לְבַדּוֹ *ſoli ſibi*, creavit ergo fœminam & indidit in creatione utrique ſexui mutuam conjunctionis appetitionem, quæ in naturâ integra fuiſſet, ſine vitio: nunc non eſt ſublata inclinatio ad ſexum alterum, quæ eſt στοργὴ φυσικὴ, ſed vagatur ſine ordine, ideoque magis opus eſt conjugio ut coerceatur. Quare ſani Doctores omnes ſcribunt, Conjugio poſt lapſum primorum Parentum, non tantum procreationis causâ utendum eſſe, ſed etiam, ut ſit remedium errantium appetitionum: quod enim ante lapſum inſtitutum ad officium, poſt lapſum ceſſit etiam in remedium.

§. 7.

Porro ab inſtitutione ad mandatum progredimur, nam *Lev. 21. verſ. 13.* Sacerdotibus non tantum uſus conſuetudinis conjugalis conceditur, ſed textus

tus manifestè dicit. *Sacerdotes ducant uxorem*, non (quod aliàs in papatu fieri solet) scortum, vel concubinam, nec repudiatam, *sed virginem*: id quod etiam Ezechiel, describens formam novi templi tanquam ideam typicam Ecclesiæ N. Test. *cap. 44. v. 22.* repetiit; *Sacerdotes non viduam, aut repudiatam, sed virgines Israëlitici generis uxores ducant*; & ne quis cavillari possit; Sermonem ibi tantum de gregariis, ad Ministerium nondum admissis Sacerdotibus esse, expresse de ipso Pontifice, seu Sacerdote magno, etiam postquam unctus & consecratus fuerat, textus loquitur.

§. 8.

Et ne quis ex Pontificiis in N. Test. hoc vel mutatum, vel abrogatum putaret, propterea, quia in veteri Sacerdotio erat successio secundum carnem; testimonia & argumenta hæc sequentia ex N. T. deprompta, perspicue ostendunt, quod & hujus Seculi Ministris, uxores legitimas habere liceat.

§. 9.

Primum itaque argumentum desumimus *ex 1. Tim. 3. vers. 2. & Tit. 1. vers. 6.* ibi enim Spiritus S. per Apostolum Paulum accurate describens virtutes, quas DEUS in Episcopo requirit, inter alias etiam recenset. *Episcopum oportere unius uxoris esse maritum*: ubi tamen notandum; τὸ *oportet* non inferre simplicem & absolutam conjugii necessitatem, quasi non possit esse Episcopus, qui non sit maritus, sed eos, (qui peculiari continentiæ dono instructi sunt) etiam extra conjugium vivere posse: quo dictum illud Christi; *non omnes capiunt hunc sermonem.* refere licet.

§. 10.

Sed ne quis fortè excipiat, Apostolum ibi per uxorem Ecclesiam intelligere, nimirum, Episcopus non pluribus, sed uni præfectus sit Ecclesiæ, nec transeat ab unâ Ecclesiâ ad aliam, sed alligatus sit uni Ecclesiæ, sicut vir uxori; *Resp.* manifestam esse textus depravationem; Paulus enim loquitur de tali uxore, ex qua Episcopus liberos susceperit; & curam domus, h. e. liberorum & familiæ diserte Paulus distinguit à gubernatione Ecclesiæ.

§. 11.

Secundum argumentum fluit *ex Hebr. 13. v. 4. ubi honorabile dicitur matrimonium in omnibus*, sive inter quosvis, h. e. inter cujusvis ordinis homines, *& thorus immaculatus*, τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος; ex quo loco tale formamus argumentum: Quicquid in omnibus honorabile, illud non est certo hominum generi, ad id idoneo, idemque legitimè expetenti, prohibendum. At conjugium, (*juxta Apostoli assertionem*) in omnibus est honorabile. E. illud non certo hominum generi ad id idoneo, idemque legitimè expetenti prohibendum.

§. 12.

Hæc expressa Scripturæ oracula non exhaurit exceptio ista Pontificia, quam Jesuitæ probant, videlicet: quod professio Monastica, & Sacerdotium impediant matrimonium legitimum; sed apertè, & ex diametro dictis illis Sacræ S. contradicit, & ex propositionibus completè universalibus, quæ non cum restrictione, sed cum ampliatione accipiendæ sunt, de omnibus, (qui donum perpetuæ continentiæ non

non habent) particulares propositiones constituit: non est autem hoc interpretari, sed (sicut hæc maxima est ex Papatus erroribus) evertere Scripturas, ubi contraria eis sententia affingitur.

§. 13.

Excipiunt hic Pontificii: Si Conjugia omnium sunt honorabilia, etiam Conjugia consanguineorum in primo & secundo gradu erunt honorabilia, & conjugia adolescentum injussu parentum contracta: sed nihil efficiunt: ibi enim dispar est ratio propter intercedentem divinam prohibitionem, *quæ ex Levit. 18. & ex IV. Decalogi præcepto* est manifesta; ostendant vero Pontificii in Conjugio Sacerdotum divinam prohibitionem, quod revera facere ac præstare nunquam poterunt.

§. 14.

Tertium sententiæ nostræ argumentum de Conjugio Sacerdotum, ex ejusdem conjugii prohibitionis impietate ducimus: *quæ 1. Tim. 4. vers. 3.* his verbis habetur, *fore* nim: *ut novissimis temporibus desciscant aliqui à fide, attendentes Spiritibus deceptoribus ac doctrinis Dæmoniorum per hypocrisin prohibentium contrahere matrimonium.* Syllogismus talis esto. Qui prohibent nuptias, illi doctrinam fovent Dæmoniorum; Pontifici hoc faciunt, dum cogunt Sacerdotes, qui continere nequeunt, sese voto castitatis obstringere: Ergo. Major ex dicto allegato satis superque elucet. Minorem liquidæ veritatis esse, Pontificios nim: conjugium prohibere, tam illorum concilia, quam ipsa experientia testatur.

§. 15.

Effugium tamen quærunt Pontificii: quod

non absolutè, nec omnibus nuptias prohibeant, & matrmonio interdicant, sed iis tantum, qui se voto castitatis obstrinxerunt.

§. 16.

Verum hæc distinctio nullo nititur Sacrarum literarum fundamento; quia 1. nullum mandatum, nullum probatum exemplum, neque etiam divinum promissum de voto cœlibatus afferri potest; quia 2. Paulus simpliciter, sine distinctione voti istius loquitur, de iis, qui matrimonio interdicunt iis, quibus contrahere nuptias licet; quia 3. è S. literis nusquam probare possunt, quod homini libero, qui dono continentiæ non est peculiariter ornatus, liceat sibi matrimonio interdicere; quia 4. ex S. literis edocere nequeunt, quod, qui dono continentiæ non sunt prædi ti, iis liceat contra præceptum Apostoli: *Melius est nubere, quam uri*; sese, ut perpetuo urantur, voto, cui satisfacere nequeunt, obstringere, & facultatem matrimonii sibi adimere.

§. 17.

Possemus adhuc plura contra votum istud Pontificiorum solenne afferre, sed cum (brevitatis studio) jam non sit nostri instituti, totam de isto materiam pertractare, remittimus benevolum Lectorem *ad DD. Hülsem. qui in Breviar. p. m. 749. seqq.* prolixè & non minus accuratè hac de re disputavit.

§. 18.

Porro ad illa etiam verba, quæ in textu allegato habentur ἐν ὑστέροις καιροῖς excipere conantur adversarii, nominatim Costerus, illa nimirum

ad

ad tempora ætati Apostolorum vicina tantum referri.

§. 19.

Sed quam ridiculum & insulsum illud sit, nemo non videt: quasi quod illis temporibus interdictum & prohibitum, proque doctrinâ Dæmoniorum agnitum & proclamatum, posterioribus seculis prohibere liberum, licitum, sanctumque fuerit: quare nullo modo concluditur; prohibere nuptias tempore Apostolorum, & proximè sequentibus seculis doctrina fuit Dæmoniorum: ergo posterioribus seculis, eadem prohibitio nuptiarum, non est doctrina Dæmoniorum.

§. 20.

Ulterius hunc Pauli locum ad veteres illos hæreticos torquent Papistæ, vid: ad *Marcionitas & Manichæos*, qui nuptias in universum damnarint, ut quiddam malum & immundum. Id vero re ipsâ sentire etiam Pontificios ex decretis illorum satis liquet, quod & infra prolixius demonstrabimus: quare ad ipsos etiam Pontificios & horum Patronos Jesuitas locus Pauli accomodandus est, quia Apostolus doctrinam non primis saltem temporibus inservientem, sed perpetuam tradere voluit.

§. 21.

Deinde non de Personis magis, quam de re ipsâ loquitur Apostolus, quæ, ubicunque similis est, eandem damnationem meretur, quicunque illi sint, qui sic doceant: præterea verba Pauli disertè eos perstringunt, qui prohibent conjugium, sive in universum, sive in certo hominum ordine: ut, Pontifices Romani interdicunt mancipiis suis nuptias:

Sic verò & *Manichæi*, non quidem in plebe, sed in Electis suis, majorem Sanctitatem & religionem profitentibus, nuptias improbabant.

§. 22.

Quartum argumentum propriè loquendo non nostrorum est, sed Pontificiorum; quando nim. Conjugium *pro Sacramento* vendicant. Jam vero, si (*ex mente Pontificiorum*) matrimonium est Sacramentum: Sacramenta autem in usum non modo Laicorum, sed etiam Clericorum instituta: Certè non peccant Clerici, quando Sacramento matrimonii utuntur; itaque Pontificiis maritatis hoc argumentum defendendum relinquimus.

§. 23.

Porro ut sententia nostra eò firmior reddatur fundamenta illa immota, *ex Epistola Ulrici Episcopi cujusdam Augustani ad Nicolaum Papam scripta*, conferemus; retentis ipsius Ulrici verbis. Postquam igitur Nicolaus decretum fecerat, nulli unquam Clericorum, exceptis Lectoribus & Cantoribus, licentiam permittendam esse ineundi matrimonium: & decretum illud ad Germanicas etiam Ecclesias miserat, atque executionem ejus Episcopis mandaverat, Huldericus non tantum recusavit hoc facere, sed ostendit, quibus argumentis Sacerdotes Germaniæ conjugium suum defenderint.

§. 24.

Quia scil. *Primo in Vet. Test. Dominus Sacerdoti Conjugium constituit. 2. Non legitur hoc in Nov. Test. interdixisse. 3. Christus & Paulus affirmant, non omnes posse capere consilium continentiæ. 4. Paulus diserte dicit, se non habere præceptum Domini de Cœlibatu.*

tu. 5. Paulus expresse dicit, Episcopi & Diaconi sint unius uxoris viri. 6. Paulus sine exceptione dicit propter fornicationem unusquisque habeat suam uxorem, item, melius est nubere, quam uri. 7. Citat Canonem Apostolorum; *nec Clericus uxorem propriam sub obtentu religionis abjiciat. 8.* Citat decretum Sylvestri, quod statuit, *uxorem Diaconi à Sacerdote benedicendam esse; quod decretum Pontificii in suis Consiliorum tomis, sicut alia quædam expunxerunt. 9.* Allegat regulam Clericorum quæ extat *dist. 23. Clericus sit pudicus, aut certè unius matrimonii vinculo fœderatus. 10. Quia Nicena Synodus Sacerdotibus liberum permisit. 11. Paulus dicit; alligatus es uxori, noli quærere solutionem: nam & qui uxores habent, possunt esse, tanquam non habentes: & qui nubunt, possunt in Domino nubere, h. e. sicut ipse explicat, in contrahendo matrimonio nihil, quod Dominus prohibeat, attentare. 12. Dicit, præceptum Cœlibatus Sacerdotum esse oneroſum & importabile, contra Evangelicam institutionem, & S. Spiritus dictationem, contrarium tam Vet. quàm Nov. Test. Christus enim dicit, qui potest capere capiat: isti vero dicunt: qui non potest capere, feriatur anathemate: item dicit esse morbum, imò pestilentiam, pravitatem intentionis, fatuam & turpem suggestionem; doctrinam Pharisaicam, pernicioſum hæresis decretum: imò hæresin, quam Cæci Duces cæcorum in Ecclesiam DEI introducant, manipulum zizaniæ, & commentum totius insaniæ, imò esse Spiritus illos erroris, & doctrinas Dæmoniorum, prohibentium nubere. 13.* Fructum Cœlibatus Pontificii admodum graphicè depingit, & allegat sententiam Augstini: *Nullum tam grave facinus, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Multi vero assenta-*

sentatores, hominibus, non DEO, pro falsâ specie continentiæ placere volentes, graviora committunt: Patrum scil. uxores subagitant, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrent, in quovis Sanctissimo ordine constituti, alienis uxoribus non dubitant abuti. Cumque quidam Episcopi & Archidiaconi, ita præcipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum (proh pudor,) turpissimos amplexus sciant abhorrere; tamen casta Clericorum conjugia dicunt sibi fœtere, & ab iis jubent & cogunt Clericos abstinere; & dicunt, honestius esse pluribus occultè implicari, quam apertè in hominum vultu & conscientiâ, cum unâ ligari. Sed væ vobis Pharisæi, qui omnia facitis propter homines: Item Clerici, dum licita unius mulieris consortia (Pharisaico furore devicti) relinquere coguntur fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri efficiuntur: Et quod flendo cernimus, omnes in supra dictis sæviunt sceleribus. Inde tantum Ecclesia DEI scandalum, tantum Clerus despectum patitur. Ne igitur Ecclesia, unica Domina Sunamitis, adulterinis diutius usa maritis, regale Sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso Christo avellatur divortium, extirpanda est Pharisaica illa doctrina ab Ovili DEI. Hæc omnia sunt Hulderici verba.

§. 25.

His itaque immotis fundamentis subjungemus etiam Exempla Sacerdotum conjugatorum tam V. quam N. T.

§. 26.

Nam ante diluvium *Enoch*, qui vitam cum DEO egisse scribitur, filios & filias ex conjuge suâ genuisse constat. Et *Noah & Loth*, præcones justitiæ uxo-

res

res habuerunt & liberos; quemadmodum *Moſes* & *Samuel* uxores duxerunt, enutriti in tabernaculo. Poſt eos conſtat & Prophetarum nonnullos habuiſſe conjuges ſuas, inter quos *Ezechiel* uxoris ſuæ expreſſam mentionem facit *cap. 24.* Tam autem non fuit probro Sanctiſſimo & præſtantiſſimo Spiritus S. organo uxor, dum Eccleſiæ miniſtrans, Doctoris officio fungeretur, ut non ſit veritus etiam libro ſuo aliquid de tempore mortis ejus inſerere.

§. 27.

In N. autem T. nemo ignorat *Petri Socrum, Matth. 8. v. 14. & Philippi Evangeliſtæ quatuor filias Actor. 21. v. 9.* Narrant etiam Scriptores Eccleſiaſtici, Petrum uxori ſuæ præſtò adfuiſſe, cum ad mortem pro Chriſto raperetur, eamq; conſolatione confirmaſſe, cum diceret: Memento tu mea Domini; &, iſtæ ſunt Sanctorum nuptiæ: Denique Apoſtolos plerosque maritos fuiſſe, *teſtatur Ambroſius in 2. Cor. c. 11.*

§. 28.

Sed jam ad antiquitatem, Apoſtolorum temporibus proximam, veniamus, cujus traditionibus plus honoris deferunt Papiſtæ, quam ipſis Scripturis Sacris.

§. 29.

Ignatius enim (qui Policarpo Johannis Evangeliſtæ auditori σύγχρονος fuiſſe perhibetur *in Epiſt. ad Philadel.* ſic inquit. *Gratulator vobis virgines ſanctimoniam, ut Heliæ, Joſuæ, Melchiſedech, Eliſæi, Jeremiæ, Johannis, Thimothei, Titi Evodii, Clementis, qui cælibes vixerunt*: & mox addit: *Horum facta à me mentio eſt, non quo vituperatos velim reliquos Sanctos, qui nuptiis copulati fuerunt*: *Opto enim DEO*

 dignius

dignius in ipsorum vestigiis inveniri in Regno DEI, ut Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Esaiæ, & aliorum Prophetarum, item ut Petri, & aliorum Apostolorum, qui in consuetudine conjugali vixerunt.

§. 30.

Quod si exempla piorum Episcoporum requirantur; Hilarius celebris Ecclesiæ Pictavienſis in Galliâ Episcopus conjugatus fuit, ut ex ipsius ad Apram filiam missa Epistola colligitur: & testis est *Mantuanus* Poëta *Pontificius*, cujus hi versus sunt.

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor.
Legitimo conjuncta thoro: non horruit illâ
Tempestate DEUS, thalamos, cunabula, tædas.

Idem legimus etiam in historiis de Basilii & Nazianzeni Patribus de Nisseno fratre Basilii, de Spiridione, de quo illud confirmat historia, cum uxorem & liberos haberet, non tamen propterea fuisse in divinarum rerum exercitatione aliis deteriorem. *Sozom. lib. 1. cap. 11.* Nazianzenus vero etiam in laude hoc ponit, quod Pater suus in ipso Episcopatu uxoratus fuerit; de quo & Mantuanus inquit:

Præsule Patre satus; nam tunc id jura sinebant.
Pastorale pedum gessit post funera patris.

Et de Nisseno Episcopo fratre Basilii M. scribit Nicephorus *l. 1. c. 19. Quamvis is Episcopus Conjugem haberet, tamen rebus aliis fratri minimè cessit.*

§. 31.

Multa denique & ferè innumera testimonia & exempla adduci possent, quæ ostendunt contractionem matrimonii esse antiquissimam; hanc legem verò de Cœlibatu, quæ à Pontificiis hodie defenditur, admodum recentem esse; sed ne proli-

xiores,

xiores, quam instituti ratio requirit, esse videamur, hæc modò allata nobis sufficiant; quæ omnino persuadent, ratione ineundi matrimonii, secundum ordinem divinitus institutum, planè nullum esse discrimen inter homines Christianos, quos natura ad conjugium aptos reddidit, sive Sacerdotalibus officiis consecrati sint, sive Politica munera gerant, sive vitam privatam degant; *sed in omnibus illis conjugium esse honorabile*; quâ de re hunc proponimus syllogismum.

§. 32.

Quicunque vitæ status (α) ab ipso creatore DEO universo hominum generi institutus & commendatus est. (β) & exornatus multis modis & benedictus. (γ) ad quem ipsa natura homines format. (δ) & in quo piè & sanctè vixere multi viri DEI, Patriarchæ, Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli. (ε) quem etiam in N. T. singulariter approbavit & confirmavit multis rationibus ipse Christus Redemptor noster. (ζ) itemque S. Apostoli: Ab eo vitæ statu nemo hominum, quem idoneum ad illum DEVS fecit, arceri sive repelli debet: Conjugium Christianum est talis vitæ status &c. Ergo, à Gonjugio Christiano nemo hominum, quem idoneum ad illud DEVS fecit, arceri sive repelli debet.

§. 33.

Assumptionem operosè non probabimus, quam existimamus niti universali consensu omnium verè piorum hominum, qui de conjugio ex ipso verbo DEI judicare consueverunt.

§. 34.

Pontificii verò jam aliter incedunt, & loco legiti-

gitimi & à DEO ordinati conjugii, grave istud cœlibatûs votum suis Clericis imponere conantur, contendentes, illud non solum matrimonio contrahendo insigni esse obstaculo, sed etiam pro causâ dirimente matrimonium contractum, esse habendum; quam sententiam in *Concil. Trid. Sess. 8. Can. IX.* sub anathematis fulmine credendam proposuerunt: Verba sic habent.

§. 35.

Si quis dixerit: Clericos, in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium: posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, (etiamsi eam voverint) habere donum; Anathema sit; cum DEUS id recte petentibus, non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

§. 36.

Argumenta, quibus Pontificii hanc sententiam firmare nituntur; partim ex quibusdam scripturæ dictis, in alienum sensum detortis, partim ex rationibus straminеis emergunt, quæ tamen evictionem haud præstant: Videbimus unum atque alterum.

§. 37.

Ex V. T. adducunt 1. *illud Levit. 15. vers. 16. Emissio seminis immundum facit.*

§. 38.

Resp. Textum ibi non de legitimâ consuetudine conjugali, sed diserte & expresse de aliis casibus

sibus γονορρόιας loqui, ut totus, orationis contextus ibi ostendit.

§. 39.

Alter locus, quo utuntur, (sive potius abuntur) Pontificii, habetur *1. Reg. 21. vers. 4. & 5.* ubi noluit Abimelech Sacerdos dare Davidi propositionis panes comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquandiu abstinuisse ex quo colligunt, usum legitimi conjugii adferre aliquam contaminationem, quæ à rebus divinis conjugatos avocat.

§. 40.

Resp. Variæ rationes contaminationis à mulieribus traduntur in lege Mosi, ut in puerperio, & aliis casibus: nusquam autem lex dicit, usum legitimi conjugii, reddidisse hominem immundum. Nam & ipsi Sacerdotes in V. T. (qui singulis diebus mane ac vesperi jubebantur Domino offerre sacrificium, *Exod. 29. v. 38.*) quia erant conjugati, & liberos generabant, *Num. 28. v. 3.* non potuissent panes propositionis manducare.

§. 41.

Porro in Nov. Test. sibi inservire putant locum. *1. Cor. 7. vers. 28. 32. & 35.* in quo etiam potissimum victoriæ partem collocant, quando nim. Paulus varias causas recenset, quod cœlibatus conjugio sit præferendus, nimirum quia I. *Conjugati afflictionem in carne sint habituri: juxta vers. 28.*

§. 42.

Resp. I. disting. inter vitia Personarum & statuum, multa enim in *Personis* sæpius vitia inveniuntur, quæ tamen propterea *Statibus*, divinitus ordinatis, imputari nequeunt.

§. 43.

Quia II. Conjuges cor ſuum, quod DEI ſolius eſſe debebat, in varias mundi ſolicitudines diſtrahunt juxta verſ 32. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe: qui ſine uxore eſt ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO: qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt.*

§. 44.

Reſp. 1. Apoſtolum præſcribere conjugatis, quæ ſunt Domini, & affirmat, conjugatos poſſe curare ea quæ ſunt Domini. *1. Cor. 14. 1. Tim. 2. verſ. 9. 10. 11. & 12.* 1. *Petr. 3.* Sicut etiam exempla ſcripturæ probant, *Abrahæ, Saræ, Eliſabeth, Zachariæ &c.* è contra *multas viduas Paulus dicit nimium curare ea, quæ ſunt mundi, & viventes eſſe mortuas. 1. Tim. 5. verſ. 6.* 2. Apoſtolus non abſolutè loquitur, ſed comparatè, reſpectu temporum & conjugum illorum, ubi propter diſparem ſtatum conjugum & religionum, atque frequentiam perſecutionum, multæ difficultates & ſolicitudines maritis imponebantur. 3. Minimè apparet, quomodo juxta Papicolas matrimonium impediat, aut impedire poſſit, curam eorum, quæ ſunt Domini, cum ſecundum eos matrimonium ſit ſacramentum: jam, qui ſacramentis utitur, is curat ea, quæ ſunt Domini. 4. Diſting. inter jus & factum; Paulus loquitur de facto, quid videlicet: communiter ab hominibus fiat; non autem de jure, quid juxta DEI voluntatem ab iis fieri debeat.

§. 45.

Quia III. *Juxta verſ. 35. In Cœlibatu longè melior*

melior datur occasio sine impedimento serviendi Domino.

§. 46.

Resp. I. Disting. inter *Cœlibatum Apostolicum heroicum*, & *Papisticum fictitium* : de suo cœlibatu loquitur Apostolus: non vero de Pontificiorum. *Resp.* II. Disting. inter tempora prima & novissima : Primis temporibus, propter universalem Evangelii prædicationem, omnino matrimonium impedimenta ministerio ferebat ; sed hodiè, quando curatis Ecclesiis ministri præsunt, impedimentta talia locum invenire nequeunt. *Resp.* III. Conjugium est status divinitus ordinatus : jam, qui vivit in conjugio, vel ordine divino, is eâ ratione DEO dicitur adhærere.

§. 47.

Denique subsidium desperatæ causæ quærunt in loco (quem tamen miserè corrumpunt) *Apocal. 14. vers. 3. & 4. Cantant quasi canticum novum, quod nemo poterat discere. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt conquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit, sine maculâ enim sunt ante thronum DEI.*

§. 48.

Resp. Annon hoc est Conjugium vocare immundum ? Impurum ? Non sanctum ? Nam si cœlebs est, qui non est coïnquinatus cum mulieribus, & cœlebs hic opponitur conjugato, quod utrumque sentiunt adversarii : Ergo, conjugatus est, qui coïnquinatur cum mulieribus : quicquid enim de oppositurum uno, qua opponuntur, negatur, affirmandum est de altero, ex regula Logicorum: judi-

judicent jam piæ mentes, quo honore exornent Pontificii honestissimum matrimonium, quod à DEO, sanctissimo Numine institutum, describi illud affirmantes ex coïnquinatione cum mulieribus. Sed cæterum sciant, sententiam istius loci generalem esse, & pertinere ad omnes fideles, sicut *Matth. 25. v. 1. Regnum Cœlorum comparatur virginibus & Psal. 44. v. 15. Adducentur Regi virgines: sicut in Prophetis Ecclesia vocatur virgo, filia Sion Esa. 37. vers. 22. cap. 47. vers. 1. Virgo Israel, Amos 5. vers. 2.* Insuper locutio ibi est metaphorica, & loquitur textus de idololatriâ, quam Spiritus S. per adulteria & fornicationes depingere solet in scripturâ: quemadmodum & Christus Pharisæos vocat *generationem adulteram*: & præcipuè hoc in loco etiam de *scortatione Babylonicâ* sermo est.

§. 49.

Hæc jam sunt præcipua Pontificiorum pro stabiliendo cœlibatu argumenta, quibus refutatis, reliqua, quotquot objicere solent, per sese corruunt.

§. 50.

Vela itaque contrahimus ac DEO Triuni humiles & devotas gratias agimus pro præstitâ Spiritus S. gratia, atque ex intimis rogamus, ut ille Ecclesiæ Sponsus piis conjugibus adsit, & ad cœlestes nuptias nos omnes olim transferat.

COROLLARIA.

I. Baldus & Wernherus Episcopi quon-

quondam Argentoratenſes, contradicentes coactitio Clericorum cœlibatui inter confeſſores veritatis referendi ſunt.

II. Vitia, ſive viris, ſive fœminis adhærentia, & pericula inde metuenda, non ſunt ſufficiens ratio interdicendi matrimonio Clerum, & Monachos vel Moniales.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Ad Clerum
Impuro cœlibatui mancipatum:

UReris? uxorem ducas vel Clericus; ignis
deſinet, & caſtâ mente quietus eris.
Vota nihil, nihil ulla precum vel longa valebit
fabula, ſi contrâ, quam jubet ordo, facis,
ordo DEI, qui novit opus, quodcunque peregit,
ipſe ſuum; nec opem fert, niſi quando cupit;
Nec cupit ille, niſi verbo quam ferre ſalutem
promiſit, nec agit mira, ſed ordo placet;
Ordo quis ille? rogas; dîcam, ſunt fœdera caſti
conjugii: nullos excipit inde DEVS.
Gratulor ergo tuis conatibus, optime Balzi,
dum Tibi, qui merito, perplacet ordo DEI.

Exercitii Præſes.

Augustana Tibi curæ est Confessio, Balzi,
discere namq; studes, quæ docet illa piè.
Quos illa errores rejecit, rejicis & Tu:
Et meritò: specimen quod probat hocce Tuum.

gratul. f.

Sebastianus Schmidt D.

Pereximio ac Præstantissimo Dno. Authori.

Fœdera sacra tori nulli fugienda, Beati
Lutheri docuit mens calamusque piè,
Nam sic sancta docent divini oracula verbi,
Exemplis sancti sic docuere suis;
Fœdera sacra tori toti fugienda cohorti
Sacræ, Pontificis Sanctio dira juvet,
Sanctio, Scripturæ nullo fundamine nixa,
Sed nata é Latii prætruce velle Jovis.
Is rectè, vesanè hæc; quod scriptio præsens
Prædocti BALZI, docta solersq; probat,
Cujus laudandi, quam præmia digna, laboris,
Sis accepturus, nullus, AMICE, pave.

hac amicitiæ & boni ominis c. scripsit

Johannes **Morstatt**
SS. Theol. Stud.

VErlarvte Höllen-Bruet: wie darffstu diß verbieten/
Daß selbst der grosse Gott mit Ernst gebotten hatt/
Nein deine Phantasie behält hier keine statt/
Weil selbst die Heiligen sind zu der Eh geschritten.
Sieh diese Schrifften an/ so mustu doch gestehen
Wie falsch dein trüber Wahn und die Erfindung sey/
Und wie dieselbige nicht sonder Tadel frey/

Weswe-

Weswegen solcher muß gleich einem Dunst vergehen.
Fahr fort/ gleich wie du schon hast löblich angefangen/
Beweiß dem Vatterland die angebohrne Pflicht/
So wird dein hoher Ruhm gleich wie der Sonnen-Liecht/
Biß an der Sternen-Tach mit grossen Freuden prangen.

Dieses setzte eilends und mit flüchtiger Feder
seinem werthen Freunde
zu Ehren

Christian Ludovici,
Budissa-Lusatus.

ORdinis est audax contemptor Numine sancti,
qui studet heroos æquiparare animos,
occultans Venerem, dum spernit conjugis usum;
lascivo intereà turpiter igne calet.
Papicola, *Balzi*, doctè hoc de cœlibe monstras,
sacra sacerdotum connubia esse probans.
Perge sequi fausto Patris vestigia gressu,
Præclaris ausis gratulor hisce tuus.

gratulabund. f.

Michael Fœrtsch,
Wertheim.Franc.

E *Gregios ausus laudo, his insiste micabis*
olim inter Claros, ut nova stella Viros.
Hæc voti sit summa mei, Doctissime BALZI!
quod velit esse ratum, gratia Diva VALE.

Gratulationis ergo paucula hæc
posuit tuus

J. J. Batzendorff/ Durlacensis
L. L. Stud.

PApicolas, Baltzi, dum ſcripto ritè refutas,
quod tribuant tantas conjugio maculas,
& fortis tentas cathedram conſcendere doctam,
ut maneant vero præmia, corde precor.

In ſinceræ amicitiæ τεκμήριον
appoſuit

Joh. Eckhardus, SS. Theol.
Studioſus.

F I N I S.